



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 15. Auaritiam & ambitionem in fratres sæuijsse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

miratur  
ibum suum  
famulorum  
igilantia  
et. Quid  
seruum  
tij ac di-  
ac pra-  
ac pra-  
oscindit  
latim  
fructu  
inimici  
ibus, s.  
atq. m.  
bus, s.  
licibus,  
Ama-  
inhu-  
iditat-  
no, in-  
incen-  
atur il.  
heredi-  
nus ha-  
ccepsio-  
esse, s.  
posset.

posset. Modò de patris morte cogitat, modò de fratri vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelerate impietatis. Nam quisquis hominum parentina mortis expectatione animam pascit, paricidali criminè in hæreditate succedit. In quo loco cupiditatis impulsu nutriuntur inter cohaeredes odia.

## §. XV.

*Avaritiam & ambitionem in fratres.*

*sauisse.*

Exempla sunt innumera, etiam fratribus inter se agentium, quod egerunt, inter se Eteocles & Polynices Oedipi Thebanorum regis filij, qui defuncto parente, de hæreditate & ditione dissidentes, contractis utrimque copijs, ambo se mutuis vulneribus interfecerunt. Eamdem causam habuit Romulus, sed prætexuit, cum Remum occideret. Eamdem in sacris historijs Ioram rex Iudææ, qui suasu Athaliæ vxoris fratres interfecit. Eamdem, ut tradit Volaterranus, habuit Aristobulus rex & ipse Iudææ, ut Antigonum fratrem, quem prius regni consortem fecerat, falso insimulatum perimi iuberet. Compertum est, inquit Diodorus, Osridem Ægypto iuste regnantem à Typhone fratre impio ac nefario interemptū. Quem in-

I

sex

sex & viginti partes dissectum cuilibet eorum  
qui tanti sceleris participes fuerant, partem di-  
dit, ut ipsos defensores custodesq; regni fidos ha-  
beret. Polyphontes rex fratri necem intulit,  
quod ab eo insidias & mortem sibi parari  
intellexisset. Herodotus alijque scribunt,  
Cambysi Persarum regi visum esse per quie-  
tem, venisse sibi nuncium, qui diceret,  
*Mergidem fratrem solio sedere regio.* Qua ille  
visione conternatus, Perexaspem Persam  
ad eum interimendum misit. Mamertes  
cùm Sisaphonis Corinthij fratris sui filio  
regnandi libidine peremisset, ab ipso Sisa-  
phone membratim laceratus est. Rhesus  
Maximi & Ameriae filius fratrem Simulum  
in venatione vita priuauit. Sallustius quoq;  
affirmit Iugurtham Manastabolis filium  
nothum fratres suos Adherbalem & Hiem-  
psalem Miciplæ patrui sui filios exanimasse,  
ut solus Numidis imperaret. Atque ut ad  
nostra tempora proprius accedamus, Isa-  
cius Angelus Imperator ab Alexio fratre  
(quem à Turcis captum redemerat) per-  
summum scelus, oculis, imperio, & vita pri-  
uatus est. Feugo quoq; Horuendilium Da-  
norum regem fratrem suum insidijs circum-  
uenit, atq; ubi parricidio datus est locus,  
cruenta

Oel.lib.  
4.c.3.

Saxo  
Gram-  
mat. I. 3.

eruenta manu funestam mentis libidinem satiauit, ut eo mortuo regnaret. Gregorius Turonensis memorat, Herminefredum Bertarium fratre vi oppressisse, ut soli sibi tranquilius & securius, apud Thuringos licet regnare. Fernandus rex Castellæ, Sanctij filius, Carsiam fratrem regem Nauarræ peremit, ut Nauaram ipsam suo adiiceret regno. Usque adeò libido principandi non præscribit sibi modum. Eamdem ob regnandi caussam, Drahomira matre instigante, Boleslaus Vratislai Bohemorum regis filius fratrem Wenceslaum æquitatis & religiositatis obseruantissimum principem, & Abeli iusto persimilem, è solio & vita eiecit. Denique Orodes Phraatis filius, Parthorum rex, Mithridatem secundum fratrem suum Babyloniae obsedit, factaque ditione, in conspectu omnium, quamuis supplicem contrucidauit. *Dew te perdat, ambitio, inquit ille,*

*Qua fratres armas in fratrum viscera,  
quaque*

*Securum à nato non finis esse patrem.*

Neque enim, ut suprà ostendi, in fratres tantum saeuit amor diuinarum, parentum ipsorum iugulos petit. Nam, ut Plato que-

Io. Du-  
brauius  
lib. 5 hist.  
Bohem.  
Surius in  
vita S.  
Wences-  
lai 28. Se-  
ptemb.

Plat. I. 303  
ritur, de Rep.

**Cæl. lib.****16. lect.****Antiq.**

ritur, Ardieuus Pamphyliæ tyrannus patrem senio confectum, & fratrem natu maiorem morte affecit. Mithridates tanta feritate fuit, vt matrem, fratrem, & insuper sex liberos crudelissimè è medio tolleret. Cœroes rex Persarum senio confectus Medassem filium regni hæredem instituit, ob quæ cauſsam ab altero Siroche natu maiore peremptus est. Agminatim sese historiæ, & quidem admodum luculentæ, offerunt, in quibus opes leguntur filijs chariores fuisse, quàm fratres & parentes.

**§. XVI.**

*Auaritiam pecunias Deo anteponere, vel colere ut Deum.*

Potestnē aliquid parente charius esse? potest, & debet, nempe D E V s. Quò igitur vltérius potest progredi insania pecuniarum, quàm vt Deum ipsum vendat, eique argentum anteponat? Ad hunc malitia apicem ducit nummus. Euangelium ipsum audi. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei mgingita argenteos. Et exinde quarebat opportunitatem, ut eum traderet. Tanti fuit, apud perf.

**Matth.****26, 14.**